

T.







Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

De

# Inimicitiiis inter Serpentem & Mulierem,

Ad

Locum Classicum Gen. III. v. 15. adornata

Et

In Electorali Academia Wittebergensi,

P R Æ S I D E

VIRO

*Maxime Reverendo, Magnifico, Amplissimo  
& Excellentissimo*

**DN.D. ABRAHAMO CALOVIO,**

Theologo celeberrimo & Prof. Publ. primario, Consistorii Ecclesiastici Adessore gravissimo, & Electoratus Saxonici Pastore & Superintendente Generali,


*DN. Patrono ac Promotore suo atatem devenerando,  
Ad amicam συμφιλολογίαν publice proposita*

à

**M. JOHANN-ANDR. KUNADO,**

Eccles. Mittweidensis Pastore & Ephoriæ Chemnicensis Adjuncto.

*d. 21. Aug. A. Æ. C. c1o 1o: LXII.*



L I P S I Æ,

*Typis* JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

4.



DISPUTATIO THEOLOGICA

De ...

penitentiam & Maledictum

Joann. Clavium Gen. III. v. 17. ad Johann.

Et

in theologia Academia Wittenbergensi

P R A E S I D E

VIRO

Maximo Reverendo Magnifico ...  
& Excellentissimo

D. N. D. ABRABHAMO CALOYIO

Theologo celeberrimo & Prof. Publ. Princi-  
palis Ecclesiae Adhaerentissimae & Theologiae  
Saxonicae Pastore & Superintendentente  
Generali

Dr. Praeceptor Praeceptor ...  
Ad publicam ...

M. JOHANNI-ANDR. KUNADO

Ecclesiae Minsteriensis Pastore & Theologiae  
in Abundantia

Gen. III. v. 17. ad Johann.

...

...

+





Σὺν τῷ Θεῷ.

**P**lena sane consolationis dignaque consideratione est sententia, quam David in persona Christi prolocutus est, Psal. 40. 8. Ecce venio, inquit, in volumine Libri scriptum est de me. Docet enim his verbis jamdudum ab initio Ecclesie de ipso Messia ejusque officio in ea predicatum esse, cum in primo statim volumine, vel in prima facie libri de eo scriptum & exaratum sit, se ipsum venturum haud coacte sed spontaneo ac lubenti animo & pro peccatis nostris coram DEO satisfacturum. Nam hæc sunt verba, dicit Christus, quæ locutus sum vobis, quum adhuc essem vobiscum, oportere impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. Luc. 24. 44. Adeoque provocat ipse ad Scripturas & inter alia etiam ad Moysen. Necessè igitur est in illo extare, quid de nostri Redemptione sciri & credi oporteat. Nam cum Patriarchis DEUS primum pactus est. Luc. 2. ut Apostoli non veriti fuerint dicere, se confidere salvari per gratiam Domini JESU CHRISTI, quemadmodum & Patres, Actor 15. 11. quibus Protevangelium annunciatum & per manus quasi communicatum erat. Nulla vero prior promissio est hac de re, quam quæ in Protevangelio continetur, ubi DEUS posuisse dicitur inimicitias inter Serpentem, & Mulierem, hac additione, ut Serpens quidem vulneraturus sit Christi calcaneum seu naturam humanam; ipse vero contriturus illi caput, opera Diaboli destructurus ejusque regnum dissipaturus. Et hanc generalem permissionem postea secuta sunt specialiores,



ubi certus primo populus tum tribus & linea, tum domus & familia, tum certa personæ conditio, tum locus denique & tempus demonstrabatur & ita de gradu in gradus promissio restringebatur clariorq; fiebat, donec Johannes Baptista digitis Christum demonstrabat. Promissiones comitabantur Typi & Sacrificia, quæ mortem & passionem Christi, adeoq; totum Redemptionis nostræ negotium præfigurabant & tamdiu durabant, donec Christus remoto veteri instruebat novum. Usque, adeo verum est, quod in persona Christi Hieropsaltes dicebat: In volumine Libri scriptum est de me! Quia autem cognitione Christi nihil salutaris & fructuosius inveniri potest, quippe quæ est ipsa vita æterna Joh. 17. 3. constitui mecum Prot-Evangelium paulo altius repetere & inimicitias inter Mulierem & Serpentem hodie & adhuc inter nos & Diabolum à Deo positas sub incudem placidæ disquisitionis revocare, ut non solum Christus a primordio Ecclesiæ prædicetur, verum etiam in fecibus hujus mundi a nobis decenter invocetur, laudetur & celebretur. Tali vero ordine procedam, ut primum aliquid dicam de partibus disidentibus, mox de ipsis inimicitias differam, tandemque de autore Inimicitiarum pauca commemorem. Impleat nos Deo perfecto odio Satanæ & dirigat hoc Institutum ad Nominis sui gloriam & Ecclesiæ Christianæ amplificationem per Jesum Christum in Spiritu Sancto, DEUS benedictus in Secula,

## CAPUT I.

De

### Partibus Disidentibus.

§. I.

**H**Æc Pericopa est sententiæ judicariæ particula, quam Dominus in Paradiso adversus Serpentem pronuntiavit & referenda est ad præcedentia verba Moysi historica, quibus

bus



bus ait: *Et dixit Jehovah* יְהוָה אֱלֹהֵינוּ *ad Serpentem V. 14.* Quare Serpentem alloquitur Deus eique Mulierem opponit.

§. 2. Exorditur autem Dominus in promulganda sententia a *Serpente*, quia in eo initium culpæ erat. *Serpens* enim qui callidior fuit omni bestia agri, quam fecit Dominus Deus, *dixit ad Mulierem v. 1.* Æquum igitur erat, ut Poenæ quoque initium inde fieret. Tum Satanæ peccatum deliberato consilio susceptum erat. Hic enim est homicida ab initio & pater mendacii & quotiescunque mendacium loquitur de suo loquitur. *Job. 8. 44.* Hoc autem in loco describitur primum homicidium & primum mendacium. Merito igitur primum & gravissime puniebatur. Deniq; sententia in Serpentem lata est absolutè condemnatoria, qua maledictus, h. e. abominabilis, venenatus & noxius esse debet omni animali & omni bestia agri, *v. 14.* At multa hominibus dictata conjuncta est cum spe veniæ & consolatione de venturo semine Mulieris benedicto.

§. 3. Serpens vero in hac Tragœdia duplicem, ut ita loquar, personam gerit & tum *naturalem seu proprie dictum Serpentem* significat, tum *personatum seu infernalem sive ipsum Diabolum*. Satanæ enim ut Protoplastos eo tutius falleret, Bestiolam illam Homini, vel, ut B. Lutherus censet, familiarem occupavit & per eam locutus technasque suas operatus est.

§. 4. Et *Naturalem* quidem seu proprie dictum serpentem huic negotio interfuisse argumento est *partem appellatio & descriptio*, quæ per שֶׁרֶפֶן exprimitur & nihil aliud notat quam Serpentem terrestrem, antea in deliciis habitum, nunc propter maledictionem summe detestabilem; *partim σύγκρισις illa*, qua Moses Serpentem cum cæteris animantibus agri die sexto conditis confert iisque calliditate anteponit. *V. 1. partim etiam supplicium*, quo Deus eum post patratum scelus Terram comedere & super ventre ingredi jusit. *v. 14.*

§. 5. Quia enim Satanæ organum fuit & se passus est corporaliter a Satana occupari, pro merita quoque poena afficitur. Nam Serpens sponte admisit instinctum Diaboli & consilia ejus adversus hominem direxit, cui fidelitatem & obedientiam debebat. Nec excusat Serpentem rationis defectus. Erant enim in bestiis quoque simulacra quædam virtutum, imprimis vero obedientia & recogni-  
tio



tio dominii, quorum adminiculo poterant sponte agere & κατ' ἀνα-  
 λογίαν loquendo, fideliter. Quin imo hodieque in bruta cadit ali-  
 quo modo fidelitas, quod patet exemplo quorundam canum ac e-  
 quorum. Debebat igitur & poterat etiam Serpens pro suo modu-  
 lo officium Diaboli præstandum detrectare & in debita obedientia  
 ac fidelitate adversus hominem perseverare. Nec juvat Serpentem  
 Satanæ vis ac impetus, cui non potuerit sese subtrahere, postquam  
 Diabolo divinitus potestas facta est eum occupandi. Nam tum tem-  
 poris Serpens nondum erat maledictus, quin potuerit sese contine-  
 re; nec divina permissio cogebat eum Diabolo parere.

§. 6. Quapropter *triplici* etiam *pœna* affectus est Serpens  
 naturalis, ut primo acceperit *Substantiæ fœditatem*, ad quam per  
 maledictionem condemnatus est. *Maledictus*, inquit Dominus,  
*inter omnes bestias agri*. Hæc vero maledictio opponitur primævæ  
 Serpentis felicitati, qua fuit bestiola amabilis, elegans & generoso  
 indolis, cum quo non Homo solum sed cætera quoque animantia  
 summam familiaritatem coluerint: Nunc autem factus bestia fœ-  
 da, odiosa, degener, abominabilis & noxia omnibus animalibus  
 cum primis vero Homini quem seduxerat, cum qua post peccatum  
 naturalem habet antipathiam, ut ad illius tactum & conspectum  
 exhorrescat ac indignetur. *Syr. 21. 1.* Deinde reportavit *repenti neces-*  
*sitatem*. Super pectus tuum gradieris. Hinc colligitur *hoc Ser-*  
*pentis genus ante maledictionem erecto corpore incessisse, sicut Pavo vel*  
*Cervus, ut loquitur Selneccerus*. Qua agilitate & rectitudine  
 postquam turpiter abusus projectus est in pectus, ubi humi re-  
 ptando per spinas & gyros sese provolvat. Nec mirum est, Ser-  
 pentem, quo Satanus pro organo usus est, erecto capite incessis-  
 se. Sunt enim quidam Serpentes ac Dracones pedibus adhuc  
 instructi. Tum videmus nostros quoque minutulos illos co-  
 lubros, qui pedibus plane destituuntur, subinde capita & pe-  
 ctora attollere & sursum aspirare quasi hujus pœnæ peritæos &  
 primævam gloriam ac rectitudinem aucupantes. Denique *victus*  
*vilitatem*. Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Antema-  
 ledictionem utebatur victu cæteris animalibus communi. *Gen. 2.*  
*v. 30.* Sed & omni bestię terræ & cuncto volatili cœli atque omni  
 illi quod reptat super terram, in quo est anima vivens (dedi)  
 univer-



universam virorem herbæ in cibum. Jam vero cogitur pulvere contentus esse.

*Quicumque autem Serpens cum cæteris animantibus agri conferatur, nomine Serpentis indigitatur talique pœna afficitur, ut venenatus sit & odiosus hominibus, super terram gradiatur & pulverem terræ comedere cogatur, ille est verus & naturalis Serpens.*

*Hic, qui Protoplastos seduxit, cum cæteris animalibus &c.*

*Ergo.*

Majoris consequentia probatur ex natura Serpentis naturalis, quippe qui animal est naturale, venenum habens inficiendi & necandi homines, & ut experientia constat, pectore terram incedens, indignus ob patratum scelus ut caput attollat & Creatorem erectus aspiciat, esuque pulveris vitam protrahat, quamdiu Deo vindicæ visum sit. Deinde hoc ipso in loco vocatur *שׂוֹמֵר* coluber sive Serpens, dictus ideo à curiosa observatione. Nam *שׂוֹמֵר* significat curiose & callide observare, Quia autem hoc vocabulum naturam Serpentis proprie exprimit, quis naturalem hic intelligi inficiari vellet?

§. 7. Sub hoc vero Serpentis naturalis involucro ipsissimum latuisse *Diabolum* in promptu sunt idonea argumenta. Nam hoc arguit *loquela & Ratiocinatio*, qua Tentator disputavit de DEO ejusque verbo ac cultu, nec non de præmiis & pœnis; Quæ disputatio sane non cadit in bestiam *ἀλογον*, sed solum in naturam Rationalem, quales sunt infra Deum Homines & Angeli. Serpens enim tanquam bestia ratione & judicio præditus non erat; Alium igitur in illo involucro latere oportebat. Cum vero præter masculum & foemellam tum temporis nullus homo existeret, nec si extitisset, Serpentem ita ingredi & occupare potuisset, consequens est, colloquium illud ab Angelo institutum fuisse eoque sequiore, quandoquidem ad DEI contemptum & ad hominis perniciem compositum fuit.

§. 8. Evincit idem pœna, qua Serpens ille personatus affectus est. Postquam enim Deus serpenti Naturali ob societatem sceleris suam dictasset pœnam; pergit Diabolo suum quoque supplicium admetiri, cladem ineluctabilem & capitis contritionem  
inter-



interminando, quam Diabolo per Christum inferendam fuisse testis est omni exceptione major S. Paulus *Hebr. 2. 14. Et Rom. 16. 29.*

§. 9. Denique Salvator ipse huc digitum intendit, quando Diabolum vocat *Homicidam & Patrem Mendacii Joh. 8. 44.* Hoc enim in loco describitur primum Homicidium & Mendacium. Et quid evidentius est Testimonio Johannis Theologi, qui in descriptione cladis Diabolicæ his verbis utitur; *Et projectus est Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas Apoc. 12. 9.* Ut recte scripserit Theodoretus: *ὁ δράκων ἦν ὁ Φίς τῆς τῆς ἀληθείας λέξεως. Q. 32. in Gen.*

§. 10. Serpenti opponit DEUS מְלִיכָה Mulierem illam Adami conjugem, quæ hoc loco consideranda est non solum *ratione personæ propria*, sed etiam *communis causa ac natura*. Constat hoc primum *ex Diaboli intentione*, quæ certum est, cum primo quidem Mulierem solam adortum esse, sed tamen per eam simul Adamum & totam ipsorum posteritatem petiisse. Sic enim instituit Sermonem: *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno Paradisi? Cui cum Heva communi nomine de divino interdicto respondisset, regerebat Serpens: Nequaquam moriemini. Scit enim Deus quod quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri & eritis sicut Dii scientes bonum & malum v. 4.* Ubi certe omnia sunt pluralia & communia: *VOBIS* præcepit; nequaquam *MORIEMINI*, aperientur *OCULI VESTRI*, &c. Et experientia testatur; quod Adam & omnes posterum una implicati fuerint hoc modo. Per unum enim hominem peccatum in Mundum intravit & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom. 5. 12.* Non igitur soli Evæ, sed toti Generi Humano insidias struxit & mortem machinatus est Diabolus.

§. 11. Idem elucet *ex allegata Sententia Judicariæ ratione*. Cum enim Deus instituto examine totam causam cognovisset, progressus ab hominibus ad Serpentem; *Quoniam, inquit, Hoc FECISTI, maledictus esto, &c. Et inimicitias ponam.* Quibus verbis non illum duntaxat singularem Actum, sed totam injuriam complexus est, quæ Diabolus per illum Actum totum Genus

nus



nus humanum possunderat & in communem miseriam præcipitarat. Nam illa fraude non hoc solum obtinuit, ut Adam & Heva peccarent & Præceptum Dei transgredereentur: sed simul effecit, ut in & cum Protoplastis tota posteritas perierit & vapularit. Quam in rem B. Johannes scribit, Antiquum illum Serpentem Totum Terrarum Orbem seduxisse. *Apoc. 12.9.* Et S. Paulus de communi jactura conqueritur, quod per unum Hominem peccatum in Mundum intraverit & per peccatum mors & ita mors in omnes Homines pertransierit, in quo omnes peccarint. *Rom. 5. 12.*

§. 12. Quod ipsum non minus probatur ex subsecuta nova Mulieris appellatione, qua vocata est הַבַּיְתָה Hevah, quod per hoc Protevangelium constituta esset מָתְרָא Mater omnis viventis, *v. 20.* Quæ nominis ratio Statum ἀναλήψεως Reatus Mortis opponit & ostendit vim Paradisiacæ Promissionis de spe vitæ ac salutis non terminari in sola Hevah, sed sese extendere ad illius etiam posteritatem. Nam esse Matrem viventium verbum est promissionis, quod æque filios concernit ac Matrem; quemadmodum Filii non minus ac Mater ipsa per lapsum mortui erant. Quapropter & Relatio quæ est inter Matrem & Filios & communitas mali ostendit, illam promissionem ad universam posteritatem pertinere. Hinc ita licet concludere;

*Quam personam & quem respectum Mulier in Colloquio Serpentis in perpeffa injuria & in nova denique denominatione sustinuit, eandem sustinuit etiam in Judiciaria partium oppositione.*

*Jam vero personam Adami & Totius posteritatis adeoq; respectum simul Uxoris & Matris sustinuit Mulier in colloquio serpentis in perpeffa injuria & in nova deniq; denominatione.*

*Ergo illorum etiam personam ac respectum sustinuit in hoc judiciaria partium oppositione.*

§. 13. Quod autem Mulier singulariter nominatur, fit propterea, quia Deus in continuo actu singulatim processerat & novissime Mulierem examinarat. Tum quia mulier primo & immediate seducta erat, vir vero mediate & per interventum uxoris. Quo respiciens Apostolus: Adam, inquit, non fuit deceptus, sed mulier seducta obnoxia facta est Transgressioni. *1. Timoth. 2.14.* Adam enim.

B

omnino



omnino fuit seductus, si eventum spectes; sin'auspiciū & ordinem, primus deceptus non est, nec uxori offendiculo fuit perinde ut uxor marito. Quapropter Adam excludi non potest, nisi ratione primitatis & offendiculi: de cætero vero propter participationem ejusdem causæ ac Naturæ stat una cum posteris ex parte Mulieris adversus Serpentem. Quamvis autem Adam culpam in Deum transferre gestiat, tamen hoc depravatæ humanæ naturæ est argumentum. Nititur enim illa dissimulare causam & nequitiae prætextum allegare, ut inculpabilis appareat in conspectu Dei. Aut nisi latibulum inveniatur, DEUM peccati autorem esse oportet, ut Homo ab illo absolvatur. *Nam peccati rea natura nostra, inquit Selnecerus, DEUM contumelia afficit, tanquam autorem peccati & exitii hominum.*

§. 14. Quo minus admitti potest, quod Rivetus Exercit. XXXVII. in Gen. disputat, voce **אִשָּׁה** solam Evam exclusive significari. Verba jesus sunt: Diximus Deum, cum serpentem alloqueretur, ostendisse veluti digito Mulierem quæ fuerat seducta, id est EVAM; proinde neque Mulieris Nomen esse collectivum, neque immediate B. Virginem indicare. Hæc ille cum quo & Pareus consentit in Comment. in Gen. cap. III. vers. 15. pag. 102. E. Aliqui collective accipiunt de Mulieris sexu &c. Sed præter alia emphasis Hebrææ vocis **אִשָּׁה** neutrum patitur: & certum est, inimicitias non demum post natam Mariam, sed e vestigio, cum DEUS eas poneret, inter Serpentem & Evam coepisse. Verum ita Adam etiam excludendus foret, quem ipse tamen Rivetus & Pareus ad communem causam cum muliere contra Serpentem una admittunt. Nec obstat nostræ sententiæ demonstrativum in voce **אִשָּׁה**. Concedimus enim illa Evam tanquam singularem personam signari, sed addimus eam in hac partium oppositione plures respectus involvere & stare pro se, pro Adamo & tota posteritate tanquam uxorem viri & matrem eorum qui ex ipsorum cohabitatione prognascendi erant, sicut modo ostensum est. Quapropter Rivetus Reformatorum causam agit & ex h. l. evincere conatur, Protevangelium ad Solos Electos, non ad totum genus humanum pertinere. Quid autem decretum illud particulare Calvinistarum in recessu habeat, videri possunt nostrates Theologi de Elect. & Reprob. §. 15. Re-



§. 15. Restat jam *utriusque Semen, Serpentis scilicet & Mulieris*, inter quod firmata & constituta dicitur inimicitia. *Ponam* inquit Deus, *inimicitias inter te & inter Serpentem, inter Semen tuum & inter Semen Mulieris*. Primum enim ipse Diabolus non excluditur, sed præsupponitur tanquam Princeps Mundi *Joh. 14. 30.* qui habebat *κατὰ τὸ Ἰαβάτ* quod est peccatum *Ebr. 2. 14.* & ipse Dominum tentavit. *Matth. 4. 1.* & oppugnavit. *Apoc. 12.* tanquam Draco magnus & antiquus Serpens. Sicut autem regnum non absolvi potest unica aut altera persona, sed necessum est, ut adsit Rex qui gubernet subditos quibus fas est jussa pro arbitrio regis capessere iisque ab nutum obtemperare : Ita regnum Diaboli non consistit in unico illo individuo, quod Diabolum vel Satanam appellamus, sed jungendi sunt reliqui mali Spiritus & Angeli, quibus ipse imperat legesque calumniandi DEUM & falso deferendi homines præscribit. Intelliguntur autem per semen Serpentis Filii ipsius seu complices Angeli, qui cum ipso una defecerunt. Meminit enim Judas *Epist. v. 6.* plures Angelos principatu suo relicto domicilium deseruisse ac defecisse. Fuerunt ergo plures quos in consortium secum assumpsit Lucifer. Nam procul omni dubio quendam ethronis vel potestatibus vel dominationibus Angelorum fuisse verisimile est, qui tot myriades a Deo averterit & in æternam damnationem præcipitari curarit. *Quamobrem etiam Christus ait, ignem paratum esse Diabolo & Angelis ejus. Matth. 25. 41.* Quando autem Spiritus Sanctus Semen Diabolo adscribit, sciendum est, illud non fieri proprie, cum Diabolus ob naturam Spiritualem non habeat Semen, sed Phrasi Hebræa, qua Semen significat progeniem, ut *Jesaiæ 57. 3.* Hinc de hominibus ad Semen Serpentis pertinent mancipia Satanæ, quos Filios incredulitatis appellat Sacra Scriptura. Licet enim mulier cum tota posteritate Satanæ opposita sit; pro statura tamen Mundi multi ad Diabolum deficiunt & fiunt *γεννήματα* viperarum. *Matth. 3. 7. Et cap. 23. 33.* qui opéra Diaboli imitantur, sicut Dominus ait, *Joh. 8. 43.*

§. 16. Non tamen hinc sequitur, quod impii ac infideles sub Redemptione Christi non contineantur. Hoc enim de cursu & eventu intermedio accipiendum est. Alias si omnes a Christo &



salute simpliciter excludendi forent, qui a partibus Diaboli steterunt, plurimi Electorum abjiciendi essent. Qui enim peccatum committit, ex Diabolo est, h. e. Diabolum refert, ut Filius Patrem & ejus Spiritu regitur, quoniam a Principio Diabolus peccat 1. *Joh. 3. 8.* Jam vero omnes peccaverunt & destituuntur gloria DEI *Rom. 3. 23.* Sed distingvendum hic est inter peccatores pœnitentes & impœnitentes; Deinde considerandum Redemptionis meritum, quo justus mortuus est pro injustis, ut nos adduceret DEO, 1. *Petr. 3. 18.* De Petro Christus dicebat: *Abi post me Satan. Matth. 16. 23.* non ac sic Satanas ipse fuisset, sed quia passionem & mortem Christo disvaderet nec saperet quæ DEI sed quæ erant hominum, & ita Satanam consilio suo repræsenteret. Testatur idem historia passionis Dominicæ, quis contra Christum steterit, videlicet Judas, cui Satanas in Cor suggesserat, ut proderet Dominum; tum tota Synagoga Juædorum, imo Universus Mundus sicut Apostoli loquuntur *Actor 4. 25.* *Quare fremuerunt gentes & Populi meditati sunt inania? Adstiterunt Reges & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus, &c.* Ecce jam Tibi Semen Serpentis, γενήματα viperatum!

§. 15. Ex altera parte stat Semen mulieris *μωυαδικόν*, quod est Christus interprete Apostolo. *Gal. 3. 16.* Sic enim explicatur versu actutum sequenti *ὁ υἱός* ille. Quicumque igitur contrivit caput Serpentis, ille opus divinæ virtutis effecit. *Zach. 3. 2.* Hoc autem Christo *Θεάνθρωπος* competit, quippi qui destruxit opera Diaboli fortemque captivavit & præda exiit *Jes. 49.* Et sic intellexit Eva *Gen. 4. 1.* Sic Patriarchæ; Sic Prophetæ. Unde *Jes. 63.* Messias ipse protestatur, se torcular iræ divinæ solum calcaste. *Propria* itaque & *μωυαδικόν* Christum intelligi dicimus per *Semen mulieris.* Est enim sermo de Bello & expeditione adversus Satanam & Regnum ejus, quam gerit & conficit nemo, nisi Christus *Θεάνθρωπος*. Tum Semini huic non opponitur aliud semen, ut prius: sed antagonista singularis, ipse Serpens. Ergo & ipsum haud dubie innuitur singulare, ac singularis *μωυαδικόν* Serpentis & Christi designatur. Nec obstat, quod inimicitia istæ ad nos etiam extendantur, siquidem Diabolus adversus nos, & nos adversus illum arma gestamus & exercemus. Semen enim in  
hac



hac oppositione modo πληθυντικῶς seu collective, modo μοναδικῶς seu individue accipitur. Hinc nobis colluctatio non est adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes πρὸς τὰς κοσμοκρατορίας τῆ σκοτίας *Ephes. 6. 12.* Distingvendum! autem est inter Satanæ debellationem & inter illius fruitionem. Satanam debellat & vincit solus Christus; verum victoria Christi nos fruimur per fidem. Unde arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed διωαῖα τῶ Θεῷ *2. Cor. 10. 4.* Vicimus Satanam Διὰ τὸ αἷμα τῆ ἀρνίῃς. *Apos. 12. 11.*

§. 18. Quæ super hac re Papistarum sententia sit, juvat paucis commemorare. Isti enim hoc de Maria interpretantur & pro se allegant 1. *Latinam versionem veterem*, quæ legit IPSA conteret caput tuum; quam vocem referunt ad mulierem & specialissime ad Virginem Mariam. Sed Resp. Versionem Latinam discedere h. l. a Fontibus, Igitur frustra allegari. Nos attendimus verbis Spiritus S. ubi legitur אִלֵּיִם ille, non אִלֵּיִם vel אִלֵּיִם illa. 2. Quædam Exemplaria Hebraica habere אִלֵּיִם vel אִלֵּיִם quæ Lectio prædicatum refert ad Mulierem in genere fœminino. Resp. Omnia vetera exemplaria constanter legere אִלֵּיִם & sic olim legisse confirmat Græca LXX. Viralis versio, quæ reddit αὐλός σὺ τῆς κεφαλῆς, cum tamen in Græca syntaxi antecedit σπέρμα generis Neutrius. Unicum exemplar Antwerpiense Regium legit אִלֵּיִם. Verum hanc vim Textui intulit *Guido Fabricius*, nixus autoritate principis Mirandulani, sicut testatur *Franciscus Lucas Brugensis* vid. *Rivet. in Exercit. 36. super Genes. 3. v. 15.* Sublatum est autem hoc mendum in secunda editione anno 1584 cujus rei ratio redditur ab *Aria Montano* in præfat. *Bibl. 3. Etiam Masculinum אִלֵּיִם sepe usurpari pro fœminino אִלֵּיִם*, ubi facta Heroica commemorantur, quale est opus Redemptionis. Loca illa sunt *Gen. 3. 12. & 20. cap. 17. 14. cap. 24. 44. cap. 38. 21. & 25.* Resp. Ibi sensum ac relationem syntaxeos per alias particulas restringi. Præterea quod aliquando fit, non fieri semper, nec probari posse, hic necessario statuendam esse enallagen. Tum illis in locis ante vel post particulam אִלֵּיִם reperiri nomina & verba fœminina secus quam hoc loco.



## CAPUT II.

De  
Inimicitiiis ipsis.

§. 19.

**N**unc videndum, quid illa divinitus posita INIMICITIA in recessu habeat, de qua Dominus ad serpentem dixit: *Inimicitias ponam inter Te & Mulierem.* Primum autem DEUS instituit Inimicitias *Discretivas* inter Satanam & inter Hominem & significat, quod Diabolum tanquam primum omnis mali autorem ab Homine separatum & ab omnia gratia, quam illi facere decreverat, exclusum velit. Ubi facile apparet modus inimicitarum consistens in dissensu, odio ac bello irreconciliabili, quo tollatur communio conversationis & omnium studiorum usque ad hostis subtractionem & oppressionem. Est enim hæc Pericopa pars Sententiæ judicariæ & Maledictionis adversus Satanam pro Homine decepto. Diabolus enim cum deserta sua statione a DEO defecisset & propter illam perduellionem cælo ejectus esset, ut judicem quoquo modo ulcisceretur, creaturam illius nobiliorem aggressus corripit & ita per latus Hominis Creatorem ipsum petiit & ferire conatus est. Quamprimum enim colloquium cum Homine instituire cæpit, corripit verbum DEI & mentem ejus calumniando pervertit, Hominemque ipsam a fide & obedientia Creatoris abstraxit & omnia ad imminuendam & elevandam Auctoritatem & gloriam Dei direxit. Quod quin ex odio Dei & studio vindictæ profectum sit, nullum est dubium.

§. 20. Juxta vero & propter Deum invidit etiam Homini suam illam felicitatem, qua ad imaginem Dei creatus, sapiens, justus, sanctus & immortalis ipsi in deliciis erat, orbis Terrarum Dominus, Paradisi incola & vitæ cælestis destinatus Hæres. Conditus enim fuerat Diabolus in simili, si non majori perfectione quam Homo, & illa felicitate non minus ac Homines vel reliqui cælestes perpetuo ac secure frui potuisset: sed ea per voluntariam apostasiam justo DEI judicio pridem exciderat. *Epist. Judæ v. 6.* Sicut igitur ipse illius jacturam ægerrime tulit & propterea vehementer adversus Deum fremuit: Ita hominibus etiam meliorem condi-

condi-



conditionem invidit & ut iidem inde exciderent & in eandem cum ipso miseriam præcipites abirent, quæsit & effecit. *Creavit enim Deus hominem ἐπ' ἀφθαρσία ad immortalitatem & ad imaginem propriae similitudinis fecit eum. Invidia vero Diaboli mors introivit in Mundum Sap. 2. 23.* Quamvis ergo judiciorum divinorum exquisitam rationem reddere non præsumamus, cum Deus pro infinita sua sapientia etiam ad Diaboli restaurationem Medium conveniens invenire potuisset: tamen Spiritus S. haud obscure significat, Diabolū malitioso illo odio & fremitu adversus Deum, nec non invidia adversus hominem nobilissimam Creaturam, illum iudicii divini rigorem adversus se provocasse, ut ipse per peremptoriam discretionem Homini postpositus & a gratia exclusus fuerit.

§. 21. E contrario vero significat DEUS, quod miseria hominis serio adificatur eumque a Diabolo discretum meliori loco esse cupiat; quæ gratuita commiseratio primus gradus est divinæ *Φιλανθρωπίας*. Stabat enim Homo coram Deo in summa Confusione, Miser, inops, & per se indignus Misericordia. Miser erat ob contractum reatum culpæ & poenæ, quo foedus & abominabilis in oculis Dei & Morti ac Diabolo obnoxius factus erat. Inops vero ob jacturam imaginis divinæ & contractam totius Naturæ corruptionem. Avulsus enim a Deo jacturam fecit omnis felicitatis primigeniæ ex vita in mortem prolapsus, ut recte dici possit: *Corona capitis nostri cecidit. Thren. 5. 16.* Indignus denique Misericordia ob voluntariam Apostasiam, qua intermisso usu concreatae sapientiæ & illarum virium quibus adversus lapsum a DEO satis præmunitus erat: neglecta item autoritate commonefactionis divinæ de non vescendo ex arbore vetita, suggestionibus Diaboli morem gesserat & a Deo Creatore ac Domino suo libere defecerat, eo miseriæ prolapsus, ut iudicio DEI se subicere & exclamare necesse habuerit: *Non sum dignus vocari Filius tuus, Luc. 15. 19.* Quamvis autem tam male se haberet Homo peccator ut parili odio & supplicio excipi potuisset; DEUS tamen ultronea commiseratione motus separando eum a Diabolo, ipsi se parsum esse haud obscure significabat. *Non enim (ait B. Lutherus) conjungit eos in pœna, sicut jure potuisset, sed longissime separat. Et si enim*

*enim*



enim Homini quoque indignatur, qui hosti Dei contra Deum paruit; Tamen longe major contra Satanam indignatio est. Hanc enim simpliciter damnat & arguit in conspectu Adæ & Hevæ, ut Adam & Hevæ ex damnatione sui Hostis respirent paululum & sentiant suam meliorem conditionem esse. Prima igitur pars consolationis in eo est, quod propter Adamum & Hevam accusatur & maledicitur Serpens, & cum serpente Satan. Haftenus B. Lutherus in h. l.

§. 22. Deinde volebat Deus has inimicitias esse *Vindicativas*, quibus Homo è potestate Satanæ vindicaretur. Volebat enim DEUS, ut Homo Diaboli adversarius & ipsius amicus fieret. Jam vero in eo Statu, in quo de præsentî hærebat, talis non erat nec esse poterat, Hostis quippe DEI & Satanæ mancipium totus corruptus & ad omnem malum proclivis, ut non magis Diabolo adversari, quam Deo morem gerere posset, Rom. 7. 14. cap. 8. 7. Ut igitur misero Homini consuleretur, vindictiis opus erat hujusmodi, quibus uniuscujusque juri adversus hominem satisfaceret & κρᾶτ' & Ἰανάτῃ seu vis adversaria frangeretur. Secus fieri non poterat, ut Homo liber evaderet, quod tamen futurum esse DEUS noverat, & ut fieret, volebat. Numquid enim tolletur, à forti præda, aut quod captum fuerit, a justo salvum esse poterit. Hæc dicit Dominus. Equidem & captivitas a forti tolletur, & quod ablatum fuit a JUSTO, salvabitur. Jeseiæ 49. 24. Tametsi enim Satanas bonam partem culpæ seducti hominis ipse sustinebat: tamen per & propter peccatum ἐγκλημα aliquod & consequenter κρᾶτ' & τῆ Ἰανάτῃ adversus eum nactus atque ita jure & potentia armatus erat. Hebr. 2. 14. Sed nec DEUS ipse suæ justitiæ deesse, aut peccatorem sine satisfactione dimittere poterat aut volebat, imprimis cum interminando dixisset, moriturum esse hominem, quocunque die de Ligno cognitionis comedisset, Genes. 2. 17.

§. 24. Ut autem Homo sese digne gereret illo beneficio, quod in illum collatum erat, volebat DEUS eo ipso etiam inimicitias illas esse *Antipatheticas*, quibus sublato per vindictas divinitus procurandas omni jure Diaboli contra hominem, consequenter & commercium inter eos tolleretur, & perpetua inter ipsos ἀντιπάθεια constitueretur: Diabolus homini odiosus & ab-  
omina



ominabilis ; Homo verò Diabolo inimicus & formidabilis redderetur. Nam inimicitia hæc ex parte Hominis habet rationem Beneficii ; ex parte verò Diaboli , pœnæ. Quare ab hæc judiciariâ DEI constitutione pendet , quod Diabolus homini odiosus & abominabilis est ; non item quod malus , blasphemus & homini inimicus. Hoc enim ipsi proprium & in vitio est & sub decreto permissionis continetur. Non enim inimicitias has DEUS possuisse putandus est , quasi eas ex parte Diaboli constituerit aut odia , insidias ac insultus ejus adversus hominem approbet aut impedire nequeat , sed quia propriam Satanæ malitiam ac *μισανθροπίαν* novit ac pro suâ sapientia & majestate ad exercendum hominem permittere decrevit. Ideò illum tum de divino suo consilio tum de aliunde imminente periculo , tum de ipsius officio præmonitum voluit , ut Diabolum tanquam Autorem Mendacii semper suspectum habeat , tanquam homicidam & hostem *ἀσπονδόν* aversetur & tanquam blasphemum , desperatum & turpissimum Nequam abominationi ducat , ejus aditum & communicationem quærenti resistat , ne quod aliàs fieri posset & futurum esset , Satanæ Tyrannidem suam exerceret & homini Media salutis negligenti prævaleret. Quam commonefactionem Christus & Apostoli subinde repetitam fideliter inculcarunt , sicut videre est *Luc. 11, 23. Ephes. 6, 12. 1. Petr. 5, 8. Jacob. 4, 6. 1. Job. 3, 8.*

§. 24. Meminisse itaq; debemus commonefactionis Apostolicæ , ut resistamus Diabolo ipsiusq; ausibus & machinationibus nos devotis precibus opponamus , ita enim fugiet à nobis. *Jac. 4, 7.* Et hoc ex officio debemus. Non enim Diaboli potentia juvanda est peccatis indulgendo contra nos ipsos , quin potius id agamus , ut opera ejus in nobis dissolvantur. Decet hoc istos apprimè , qui Christo nomen dederunt & semen Mulieris benedictum suscipiunt. Bellum enim irreconciliabile ac odium *ἀσπονδόν* inter nos & Diabolum intercedit , qui omnem movere lapidem conatur , ut communionem conversationis Christianæ tollere satagat. Ast hæc sunt opera tenebrarum , quæ DEUS aliquando justissimus vindex severe vindicabit. Nam *qui non credit , super eum manet ira DEI. Job. 3, 30.* Hoc est periculum perpetuæ miseriæ , cui opponenda est promissio assistentiæ & victoriæ,



riæ. 1. *Corinth.* 15. Quapropter non est securitati indulgendum, sed semper cum malis Spiritibus pugnandum. *Ephes.* 6. & accuratè considerandum, quales inter nos & Diabolum adhuc gliscant inimicitia. Verum qui precibus & fide vera in Christum Servatorem, Diabolo resistit, facile fugabit eum & ipse fugiet ab eo. *Jacob.* 4, 7.

## CAPUT III.

De

### Autore Inimicitiarum.

§. 25.

**H**Actenus de partibus disidentibus & inimicitiis ipsis, restat ut de *Autore inimicitiarum* aliquid dicamus.

Autorem igitur harum inimicitiarum constituimus ipsam DEUM Jehovam, qui pollicetur, se eas positurum esse. Et *ponam inimicitias inter te*, inquit Dominus. Ponere autem hoc loco nihil aliud est quam jubere, constituere, confirmare, fovere ac promovere, ut fiant, sint & in æternum maneant irreconciliabiles inimicitia. Ubi non est disputandum, annon Deus Diabolum potuerit reprimere & lapsum hominis præcavere, ut hujus positionis non opus fuisset? Potuisset quidem DEUS secundum absolutam suam potentiam hoc efficere, sed reservaverat sibi jus creaturam suam probandi & jam decreverat lapsum permittere & eo ipso sapientiam & *Φιλανθρωπίαν* suam demonstrare. Hinc DEUM à culpâ & suspitione culpæ absolvit ipsius *Majestas* quæ DEUS est DEUS non volens iniquitatem. *Psal.* 5, 5. neq; ullum impium esse jubens aut ad peccandum incitans. *Syr.* 15, 21. Cui *prima ac directa ejus intentio* accedit, quæ hominem voluit non labi sed in bono perseverare; quod autem lapsus fuit, factum est contra voluntatem DEI adeoq; sine voluntate approbante & sine voluntate impediente, non verò sine voluntate permissionis.

§. 16. Nec causa peccati DEO justissimo judici potest affricari, quanquam is inter Serpentem & Mulierem posuerit inimicitias. Agit enim DEUS non ut instigator ad malum seu peccatum, sed  
ut



ut dehortator & vindex, qui sententiam judicariam ob patratum scelus Protoplastis & Diabolo pronunciat. Nam quia tu (προσωποποιεία liceat uti,) personate serpens seduxisti nobilissimam meam Creaturam, Ego iudex & vindex scelerum ponam & poenae loco jam confirmabo odium ἀσπυδόν inter vos, ut primævi rerum status consideratione homines te fugiant & averfentur, quò videant quid sit me dereliquisse & à partibus inimici stetisse, hæc insuper annexa limitatione, ut Semen Mulieris benedictum Tibi, Diabole, conteret caput, tu verò conteres ejus calcaneum. Aliàs non inficiamur, quod inimicitiae in Catalogum peccatorum referantur, quippe quas DEUS in quinto Præcepto solemniter eradicatas voluit. *Matth. 5.* Sed nos distingvimus inter malum culpæ & inter malum poenæ. Illud DEO planè detractum imus, hoc verò tanquam Judici adscribimus.

§. 27. Ponere igitur inimicitias ambigua phrasis videtur esse, quæ quoad diversum considerandi modum etiam diversimodè solet explicari. Respectu enim DEI poena est; respectu verò hominum & Diabolorum peccatum. Cum uxor Potipharis inimicitias inter virum & Josephum excitar, peccatum committit. *Gen. 39.* Cum Seba filius Bichri seditionem movens inter Davidem ejusq; cives inimicitias fieri curat, peccatum perpetrat. *2. Sam. 20, 1.* Cum verò DEUS inimicitias inter Serpentem & Mulierem constituit, judicis officium exequitur, qui seductionis autorem justâ animadversione plectit & vindicat. Jam sicut humano judici non vitio vertitur, si decenti poenâ maleficum afficit, reum condemnando, insontem absolvendo: Ita etiam DEO peccati culpa non est adscribenda, dum Diabolum cum sociennis æternæ damnationi tradit, hominem autem per Christum redimendum servat.

§. 28. Illud notandum esse videtur, quod diversissimo loco habenda sit hæc DEI sententia. Quantum enim ad DEUM attinet, est mandatum, quo ipse vult, ut sint & vigeant inimicitiae adversus Satanam, quarum hic autor & causa extitit; ille verò judicialiter eas constituit & firmavit. Quoad eventum fuit vaticinium de mittendo Hyperaspiste & vindice generis humani, quem expectarunt non solum Protoplasti omnesq; sancti veteris Testa-



menti, sed summè etiam desiderarunt. Quoad *Satanam* est supplicium, quod ipsi infligendum maturè denunciatur, non eo ipso quidem momento quo ejus astutia in peccatum prolapsi sunt Protoplasti, sed futuro & constituto certo tempore, quod DEUS in consilio S. S. Trinitatis ab æterno prævidit. Quoad *nos* est πρωτευαγγέλιον de gratuita remissione peccatorum & gloriosâ reparatione amissæ per lapsum felicitatis; Quoad *Christum* deniq; est officium, quod ipse sibi suscipiendum pro generis humani salute statuit. *Hebr. 2.* Ecce venio, (*non coactus sed voluntariè accedo*) *Psal. 40.* Oblatus est quia VOLUIT. *Jes. 53.*

§. 29. Hoc enim in recessu habent à DEO positæ inimicitiae, ut contineant promissionem gratiæ, quam DEUS jam laudata sententia complexus est. DEUS enim hominem è potestate Satanæ liberare volens contra Serpentem hanc promulgavit sententiam, ut inimicitiae vigerent inter Mulierem & Serpentem, quam cum tota posteritate & genere hominum ex odio Creatoris & invidia circumventam in peccatum & summam miseriam præcipitârât. Unde homicida vocatur ab initio *Job. 8.* Quamvis autem DEUS perinde hominem ac Diabolum potuisset abjicere, cum uterque gravissimè mandatum DEI violando peccârît; tamen dimisso Satanâ qui ex propriis peccârât, recipit hominem in spem gratiæ, quam Diabolis simpliciter denegavit. Et hic est primus gradus gratiæ, quando miseri audiunt, meliorem fore suam quàm hostis conditionem. Nam DEUS Misericordiâ tactus profus excludit Satanam. *Apoc. 12, 9.* totumque genus humanum suscipit. Probat hoc nova Hevæ ὀνομαθεσία, quæ Symbolica est & partim vitæ reparandæ promissionem respicit, partim etiam promissionis applicationem. Mortis reatu per Prot Evangelium ablato acceperant spem Protoplasti, fore ut qui morituri erant jam viverent & ipsi & eorum posterî. Hoc igitur velut in fomite arripiens Adam pro se interpretatur & in perpetuam rei memoriam uxoris suæ nomen vocat מרים quod est viva ex מרים vixit, eò quod ex Prot Evangelio didicisset, Eam fore Matrem Seminis benedicti, per quod omnes vitam recuperaturi essent. Hoc innuit addita ratio: Quia mater est omnium viventium. Sententia igitur Judicis est, quod hominibus consultum velit. *Ezech, 16, 6.*

§. 30. Sed



§. 30. Sed quia justitia DEI per peccatum læsa erat, justè etiam res debebat peragi. Ideoq; inter justitiam & misericordiam hoc excogitatur temperamentum, ut Messias æterni DEI Filius Hyperaspistes totius generis humani promittatur, ut, quia DEUS iræ DEI satisfaciatur; quia homo, opus redemptionis morte ac passione sua peragat. Quamobrem vocatur Semen Mulieris benedictum, quod futurus erat Homo sanctus ab utero & inimicus Satanæ. *Sanctum enim, quod ex te nascetur*, dicit Angelus, *Luc. 1. Filius DEI vocabitur.* Hic est *πεχωρισμὸς τῶν ἀμαρτωλῶν*, *Hebr. 7, 26.* & sanctus Sanctorum, *Dan. 9.* Quin etiam, si expeditionem spectes, ipse DEUS, ut *B. Lutherus* concludit. Nec dubium est Protoplastos hoc intellexisse, sicut patet *Gen. 4, 1. Possedi Virum Dominum.* Quæ certè interpretatio nisi ex fide orta fuisset, non potuisset locum habere. Ostendere enim voluit Eva, quis & qualis futurus esset ille Mulieris Filius, putavit seu Homo DEUS, Immanuel, quoad personam *σύνθετον*, geminæ Gigas substantiæ, *Ἰσάνθεωπ*; quoad officium verò *ἸΠ* seu acquirer & recuperator salutis. *Tit. 2, 14.* Tum hæc sententia erat Chriatica, ubi Filius DEI ipse apparuit & Mediatorem obtulit, cujus nomen Heva postea Seth appellavit ex hoc ipso Protevangelio, quasi futurum semen peculiariter positum, quod est Christus. *Gal. 3, 16.*

§. 31. Huic autem Semini promittebatur certissima victoria in istis verbis, quando DEUS dicit: *Illud conteret tibi caput, Tu verò conteres ei calcaneum.* Quo significatur hosti peremptoriam futuram esse victoriam, quam Christus aliquando à Diabolo reportaturus esset.

*Quæ enim prædam à forti sustulit regnumq; Diaboli evertit,  
ille contrivit serpenti caput.*

*Christus hoc fecit, Ergò,*

*Maj.* Consequ. probatur: quia per caput Serpentis tota vis & universum regnum Diaboli intelligitur. Sicut enim omnis vis & potestas Serpentis in capite est: Ita etiam omnis potestas Diaboli in ipsius regno sita erat. Abscisso autem capite, truncus exanimis jacet, & destructo Satanæ regno victoria Christo cessit. Hic enim suâ passione ac morte dissolvit regnum Diaboli & exspoliavit



Epoliavit principatus & potestates captivas duxit. 1. *Job. 3. Col. 3, 15. Osee 13, 14. 2. Corinth. 15, 55.* Contritio igitur capitis Serpentine metaphoricâ phrasi significat oppressionem, dissolutionem & abrogationem regni infernalis, id quod Christus præstitit cruentâ sua satisfactione.

§. 32. Unde victoria etiam debebat esse *cruenta*, velut per morsum calcanei indicatur. Calcaneus autem Christi est ipse humana natura, quam Satanas per suum satellitium in passione Salvatoris contere conatus est: Quamquam enim non parcat corpori Christi mystico, Ecclesiæ ejusq; membris, quæ ipsius vestigiis insistent, circa quæ Satanas indefinenter obambulat veluti Leo rugiens, devoraturus si quem offendat extra septa vocationis & providentiæ divinæ oberrantem. 1. *Petr. 5.* Hic tamen unicè de Semine benedicto, ejusque passione in corpore proprio Sermo est, & uti eidem uni activa capitis serpentine contritio hic vindicatur, ita passiva calcanei contritio unicè de passionibus ejusdemque in hoc Prot-Evangelio accipienda est. In Fontibus adhibetur verbum *קניו* quod contritionem & confusionem significat & tum de capite Serpente, tum de calcaneo Messie, quem Diabolus mordere debebat, usurpatur. Perfecit autem hoc *per tentationem*, quæ Christus infectatus est non tantum in se, sed etiam & maximè quæ vicem nostram sustinebat, ut eum vel inde absterret vel desperare cogeret. Si es Filius DEI, dic ut isti lapides panes fiant. Si es Filius DEI, jace te ipsum deorsum, &c. *Matth. 4, 3. 6.* imprimis quod sortem nostram attinet, ubi tentationes exercuit de gratiâ DEI, de vadimonio Christi, de desertione DEI &c. quæ omnia latus Christi serierunt & ad auxiliandum permoverunt. Verùm Diabolus institit variasq; cogitationes & impedimenta ingessit, *Tantam, inquam, causam sustines, cui non es ferendo, proh quanta temeritas! Maledictus qui non servat omnia, quæ in Lege scripta sunt. Deut. 27. Tu tenes locum eorum, qui non servarunt. Quid ergo impedit, quo minus Tu illorum loco maledictus fias? Viden, porro, quomodo deseraris à DEO, ab Angelis, & Homnibus tanquam maledictus. Gal. 3, 13!* Hi itaq; fuerunt torrentes Belial, quos Diabolus in Christum effudit. *Psal. 18, 5.* ut dicere conatus fuerit: *Anima mea tristis usq; ad mortem. Matth. 26, 38.*

§. 33. Con-



§. 33. Contrivit deinde ei calcaneum *per externam afflictionem*, qua Satanas Christum curavit peccatorum manibus tradi, captivari, percuti, flagellari, crucifigi. Et hoc procurabant quidem homines, sed instinctu Diaboli, qui cor Judæ occupaverat & ad tradendum innocentem sanguinem instigaverat. Quare Christus passionem suam referebat ad potestatem Tenebrarum, quæ concessa erat sceleribus adversus innocentiam. *Luc. 22, 53.* Eo ipso enim dum Christo manus & pedes perforabantur, eo ipso etiam sentiebat morsus Serpentinus. Nec adhuc Diaboli furor quiescebat, sed indies contra Christum accendebatur, donec vitam cum morte commutaret. Et propterea oportebat conteri calcaneum Christi, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habebat, hoc est Diabolum. *Ebr. 2, 14.*

§. 34. Exinde verò apparet mortis Dominicæ indemnitas. Mortuus enim est Christus secundum carnem salvâ personâ & personali unione, quippe qui fuit *θεὸς ὁμοιωμένος*, habens partes humanitatis essentielles, integras & personaliter in hypostasi τῆς λόγῃ subsistentes, nec quod semel assumpsit, unquam deposuit. Enimverò potestatem habet ponendi & recipiendi vitam, *Job. 10.* Percussus itaque est in calcaneo ut caderet, sed ita, ut resurgere posset & per illud Diaboli regnum destrueret ac dissiparet, quod etiam solus laudabiliter executus est. *Jes. 63.* Vere enim passus est DEUS in corpore, ut morte suâ mortem aboleret. Nec est ut Calvinistæ somniant humanam tantum naturam passam esse, siquidem ipse Filius DEI in mortem traditus, Dominus gloriæ crucifixus, autor vitæ interfectus & tam verè in assumptâ carne DEUS passus sit, quàm vere carnem in hypostasin suam assumpsit, quod proinde firmâ fide, ceu fundamentum spei, & salutis nostræ, tenemus, Deoque tantas quantas in hac infirmitate possumus, gratias nuncupamus, quod posuerit inimicitias inter Semen benedictum & maledictum, inter nos & Diabolum & liberavit nos à potestate Tenebrarum & transtulerit in regnum Filii sui dilecti, in quo habemus redemptionem per sanguinem, remissionem peccatorum. *Col. 1, 12.* Faxit DEUS ut per Christum in Spiritu Sancto firmata illa inimicitia inter nos & inimicos nostros Spirituales tamdiu duret, donec nos exuvias mortalis nostri corporis exuamus, contra Diabolum victoriam reportemus & omne malum evadamus.



Quum alioquin vacaturæ essent hæ pagellarum facies, adjunxi Quæstiones, quarum in ipsâ Tractatione mentio facta fuit.

Quæritur autem

1. Cur DEUS à Serpente in promulganda sententia exordietur? §. 2.
2. Quotuplex fuerit Serpens Tentator? §. 3.
3. An naturalis seu propriè dictus? §. 4.
4. An sub naturali latuerit etiam infernalis? §. 7.
5. Quæ & qualis Mulier in hoc pronunciato intelligatur? §. 10.
6. Cur Mulier singulariter nominetur §. 13.
7. Quid per Semen Mulieris & Serpentis indigitetur? §. 15. 17.
8. Quis status, qualisve conditio hominis lapsi? §. 21.
9. An Redemptio ad Solos Fideles restringatur? §. 16.
10. An DEUS Diabolos in gratiam recipere potuerit? §. 20.
11. Quis sit autor Inimicitiarum? §. 25.
12. Quæ in re consistant inimicitia? §. 29.
13. Quotuplex sit à DEO posita inimicitia? §. 19. 22. 23.
14. An DEUS ponendo inimicitias Autor sit peccati? §. 26.
15. Quis sit contritor capitis Serpentis? §. 30 31.
16. Quid per caput Serpentis intelligatur? §. 31.
17. Quid sit contritio Calcanei? §. 32.

SOLI DEO GLORIA.









